

NARRATIO.

HÆc Evangelij pericope absq; consideratione antecedentis textus imperfecta videtur. Collatis enim superioribus, cum hodierno Evangelio demum potest intelligi, quænam fuerit causa, quâ impulsî, dolosum hoc consilium contra CHRISTUM Pharisei agitârint, nempe odium. quo adversus eum, siquidem aliquot parabolis insignem illorum contumaciam taxaverat, flagrabant. Quapropter docendi causâ.

- I. *Antecedentia captiosam hanc questionem.*
- II. *Questionem ipsam.*
- III. *Christi responsionem considerabimus.*

DE I. LOCO.

Tunc abeuntes Pharisei, sc: Postquam Christus parabolâ de nuptijs ob contemptum verbi divini eos reprehendisset.

I. Itaq; notetur causa impulsiva, quâ moti sunt, captiosâ quæstione Christum illaqueare, nempe ingens odium, quo Christum volentem eos ad pœnitentiam revocare, prosequerentur.

Vsus.